

tionis perpetuæ argumentum vult esse A hunc filium.

CESSAVIT PARERE. Non quidem ætatis vitio, sed Dei benedictione ces-

sante, nec vterum eius amplius fœcundante. Ita magis confirmat, priores filios non tam vi naturæ, quam singulari Dei dono Iacobo datos fuisse.

## CAPITIS TRIGESIMI Argumentum, Vsus, Partitio, Analysis.

Septem filij & vna filia Iacobi, ex quibus vxoribus, quo ordine sint nati, & nominum singulorum etyma annotantur. Subiicitur mirabilis historia de mercede vberissima seruitutis Iacobi, diuina benedictione & artificio quodam comparata. Etsi autem ob rerum tam vilium, vt videntur, narrationes Manichæi olim Mosen quasi scriptorem profanum & agrestem, quasi qui tantum in describendis Patriarcharum amoribus & pecoribus versetur, impie calumniabantur: Tamen non est dubitandum, ista exilia de Oeconomicis & Bucolicis sanctorum Patrum officiis æque atque aliagrandia Regum & Principum gesta ad nostram doctrinam pertinere. Docemur enim, etiam œconomias Rom. 15. 4. priorum Deo curæ esse, & ab eo gubernari atque approbari simulq; ad humilitatem sectandam inuitamur, ne sublimia tantum spectemus, aut affectemus: sed nos consolemur, placere Deo vocacionem nostram, quantumuis spretam & tenuem, modo ex fide Deo in ea obtemperemus, & propria agamus.

Partes capituli principales duæ sunt.

Prima est historia de natis septem filiis, vnaq; filia Iacobo ex tetragamia, vsque ad vers. 25.

Altera est de longiore seruitute, & mirabili augmento mercedis Iacobi.

Vtraque rursus in suas subdiuiditur circumstantias & membra.

In prima erit:

1. Expostulatio Rachelis cum marito de sterilitate: & mariti grauis responsio, vers. 1. 2.
2. Generatio Dan & Naphthali ex Bilha ancilla, versib. 6.
3. Generatio Gad & Affer ex Zilpa ancilla, seqq. 5.
4. Generatio Isaschar, Zabulon & Dina ex Lea. à vers. 14. vsque ad 22.
5. Iosephi generatio ex Rachel, vers. 22. 23. 24.

In altera erit:

1. Venia discessus petita à Iacobo, vers. 25. 26.
2. Labanis astutia in retinendo Iacobo, vers. 27. 28.
3. Pactum Iacobi cum eo de mercede, vsque ad vers. 37.
4. Artificium Iacobi in amplianda mercede, eiusq; successus, vsque ad vers. 43.

## PRIOR PARS CAPITIS.

### Querela Rachelis de sterilitate.

1. Videns autem Rachel, quod non pareret Iacobo, inuidit sorori sue, & dixit ad Iacobum: Da mihi filios: sin minus, mortua sum.
2. Iratus est itaque furor Iacobi in Rachel, & dixit: Nunquid pro Deo ego sum, qui prohibuit abs te fructum ventris?